

QK. 534, 222

B. M. T.

II d
82

DE
ELEGANTIA
DICTIONIS POETICAE

I N
MEMBRIS HUMANIS
AFFECTVVM LOCO POSITIS

COMMENTATIO SECUNDA

Q V A M

P R A E S I D E

CHRISTIANO GOTTLIEB
C L V G I O

LL. AA. M

D. IIII. DECEMBER. cI*o* I*o*c*o* LXVI
IN AVDITORIO MAIORI

D E F E N D E T

SAMVEL FRIDERICVS PEZOLDVS
GVBENA - LVSATVS

HUMANIORVM LITERARVM ET S. THEOLOGIAE CVLTOR

VITE BERGAE
LITERIS TZSCHIDRICHIANIS



ELLEGANTIA
DICTIONIS POETICAE

MIRARIIS HUMANIS

ATTEGRANTUR LOCUS POSITUS

COMPLEMENTATIO SECONDA

PRÆSIDEO

CHRISTIANO GOTTHEB
CIVICO

ALBERTO MATORI

SANVEL LIBERICO MEDOLDAE

LITERIS TACONI DRIGHIANIS
ALLEGORICAE



SECTIONIS PRIMAE

D E C A P I T E
M E M B R V M P R I M V M

D E
C A P I T E G E N E R A T I M

§. VIII

Caput in pudoris affectu a Graecis atque Latinis ve- *Caput Oper-*
laminibus inuolutum fuisse, §. VI. VII. genera- *tum pudoris*
litoribus partim argumentis a priori, e natura *loco ponit et Ca-*
scilicet huius affectus, et ritu in nuptialibus fa- *pite Aperto,*
crisque peragendis usitato, specialioribus partim, ab exem- *omnem puden-*
plis et a posteriori desumptis, ea, qua fieri potuit, breuitate *rem remouen-*
demonstratum iui, eo quidem consilio, quo facilius constet,
scriptores prosae atque poetas *in capite operto, pudoris loco*
posito, ab elegantia in dicendo alienos non fuisse. Ipsi enim,
hac metonymia effecti et adjuncti, iucunda naturam podo-
re sussusorum exponendi, ad veterumque ritus spectandi,

D

occa-

occasio data fuisse videbatur. Opposita iuxta se posita magis elucescere, dictaque egregie illustrare, inter omnes constat. Hinc, quam antea seorsim tradere decreueram, capit is apertio nem rebus simul immiscui edifferendis, tanquam signum hominis, omnem pudorem eierant, indubitatum. Adductis supra rationibus et ea addi potest, quam itidem a contrario, *capite scilicet aperto et denudato, singularis fiduciae animique constantis indice atque effectu*, petendam duco, quamque Tertullianus, excellens ille seculi secundi scriptor, in libello, digno, qui saepius christianorum manibus teratur, in *Apologetico* scilicet, quippe cui tanta inest argumenti grauitas, tantaque elocutionis vis, ut nihil sublimius, perfectius nihil, ab isto tempore expectari potuisse Scaliger iudicer, egregie illustrat. Id enim cap. XXX. agens, ut, cui Deo pro salute imperatoris supplicant christiani, et, quo animo, fiducia scilicet pleno, innocente, nec criminum conscio, imo, qua ratione quibusque modis, preces fundant, doceat, ita rem eloquitur: „*illuc ad coelum sursum suspiciunt, christiani, manibus expansis,*
 „*quia innocuis, CAPITE NVDO, QVIA NON ERVBESCIMVS ---*
 „*oramus.* *) E quibus Tertulliani verbis Caput Opertum pro pudoris signo habitum fuisse, non immerito licet suspicari. Quibus vero caput velauerint gentiles in pudore vestibus, neque tanti est, ut studiose discernatur, neque, ut inuestigetur, huius loci. Nihil enim refert, fueritne pallium, an lacerna, flammeum, an praetexta: nihil ad nos, num suffibulum, an cucullus, mitella, an rica, quod veli genus a ritu, quo mulieres romanae sacrificantes, caput obtegere consueuerunt, nimis subtiliter, nimis anxie, mea quidem sententia,

*) p. 274. 275. editionis Hauercampi Lugd. Bat. 1718.

tentia, deriuasse Varro legitur; an sexcenta tandem alia vestium genera, quarum nomina iure fileo, tegumento inseruerint, parum curo. Plerarumque fere in variis affectibus apud poetas fit mentio. Sic apud Horatium *Satir.* II, 7. 55. homo nobilis, a iudice in vilem seruum mutatus, proiectis, insignibus, annulo equestri, romano habitu, prodire fingitur,

Odoratum caput obscurante LACERNA.

Apud Iuuenalem vero *Satir.* VIII, 145. canitur,

— — *nocturnus adulter,*

Tempora Santonica velasse adoperta CVCVLLO.

Pallium, quod capiti inieictum fuerit, memorat Plautus, in Epidico; apud alios nominantur veste^s aliae. Quae quum ita sint, ii facillime, ut iudico, ex omnibus se expedient, qui in pudore minus praeuiso, quicquid ad manus fuerat, affectui huic dicunt inseruiisse. Quibus quidem eo lubentius accedo, quo minus propositum mihi est, omnem ve^landi ritum rationemque uberiori persequi. Plura tamen qui nosse cupit, praeter eos, quos supra citatos reperiet, Mallinkrottum consulat in *Expositione capitis, apud veteres vellati.* Restat, ut ad populos Orientis me conferam, eorumdeinque ritum caput velandi breuibus attingam; quo id effecturum me esse credo, ut clariora quaedam reddantur loca, in quibus Caput Opertum ad indicandum pudoris affectum positum esse, iudicari potest.

§. VIII

Iudeorum ritus, quo in sacris velato incedebant capite, hic *Iudei sacra* iterum, inquis, in censum veniet. Quid inde? Sunt, qui, *peragebant capite opero.* quod morale, ut vulgo audit, ritui huic inest, rationemque eius *Huius ritus conratio pudor est.*

constituit, praeter reuerentiam, atque obedientiam, summo Numini debitam, in pudore, e commissorum peccatorum recordatione orto, quaerendum esse putent; nec inepte id sit, neque omni destituuntur fundamento: Habent potius, si bi consentiente, testem fide dignum, doctissimum illum Britannum, Lightfootum, cuius verba in Horis Ebraic. ad I. Cor. XI. T. II. Opp. p. 906. 907. bis repetita, sic fluunt:
 „voluerunt Iudei hoc ritu demonstrare, reuerentes se esse, et coram Deo pudefactos, atque indignos, qui aperta in eum respiciant facie.,, Nec, fingere haec doctorem Cantabrigensem, tibi persuadeas. Addit ille potius pro sua, in ritibus Iudaeorum inuestigandis, e librisque Rabbinorum, lectu sat molestis, nec multum lectori afferentibus iucunditatis, enucleandis, mire adhibita opera, varios Talmudis tractatus, eorumque glossatores, e quibus dupliceim hanc capitis velati rationem deducit, quorum tamen verba hic repete nolo.

§. X

Foeminae vero in plateis capite incedebant opero.
Huius ritus ratio pudor est.

Scimus deinde, non nisi mares in sacris usos esse velamento capitis, foeminas contra, quum sacriss interessent, sua amouissē velamina, nudasque exposuisse facies, siue, quod seclusae a maribus sedebant, ut Lightfootus colligit, gestaque in synagogis audire quidem et percipere, ipsae tamen haud conspici, poterant, siue, quod alia suberat causa. Longe tamen aliter extra templum atque synagogas rem se habuisse legimus. Viri scilicet, ut apud ceteras gentes, fere omnes, moris erat, rectecto, foeminae velato, capite plerumque in plateis incessisse dicunrur. Marium interim velationem sicut ab ipsis Ebraeorum magistris pudori tribui demonstravi, ita huius quoque ritus rationem in pudore ab

ab ipsis quaesitam esse, reperi. Sic Drusius *Proverbiorum*^{*)} class. II. libr. IV. pr. 68. quod, *caput velare, inscribitur, erat, inquit, capit is opertus signum subiectionis et argumentum pudoris*, idque ut probet, ad librum Musar, cuius crebra fit, in libris ab ipso editis, mentio, prouocat, ubi haec verba leguntur c. VI. „*quare vir habet caput apertum et mulier velatum? dixit ei simile de homine, qui, cum rem turpem et pudendam facit, caput suum operit ac tegit: sic mulier quandoquidem peccauit, et propter ipsam peccauit etiam Adam, qui mortem intulit in uniuersum mundum, ideo incedit capite tecto atque velato.*“ Quam rationem licet longius petitam esse sciām, a populo tamen Iudaico non alienam puto.

§. XI

Missis ritus rationibus ad exempla propero, quae, ab homi-
ne pudore affecto, praecipue caput velamine obductum
fuisse, euincent. En Rebeccam suo id exemplo comprobantem!
Hanc viso sposo, obuiam ipsi eunte, de camelō descendisse,
tenuique vestimento caput obuelasse, scriptor sacer refert. Ita
enim verba fluunt: Gen. XXIV, 64. 65.
וְתַשֵּׁא רַבָּה אֶת־שְׁנִית
וְתַרְא אֶת־יַעֲצָק וְתַפְלֵל מַעַל הַגָּמֶל: וְתֹאמֶר אֶל־הָעָבָר
סִירְחָא שׂ הַלּוֹה חַחְלָך בְּשֻׁרְחָה לְקַרְאָתָנוּ וְתֹאמֶר הָעָבָר:
Rebecca quum vide-
ret Isaacum, celerrime de camelō desiliebat. Interrogauerat enim
seruum, (sic cum Vatablo haec verba, ob meliorem nexus
perspicientiam, transferre placet. Tempora enim atque
particulas apud Ebraeos longe diuerfissimis gaudere notio-
nibus

D 3

*) Vide Criticorum Sacrorum Tomum VI. editionis secundae, quae
Gürgleri cura prodiit, Franco. ad Moen. 1696. p. 1811.

nibus inter omnes constat, huius linguae peritos.) quisnam vir ille est, qui per campum nobis obuiam venit? qui responderat, ille est dominus meus. Tunc apprehenso pallio se obuelabat. Quod quin praeter animi subiectionem ingenuo cuidam tribuendum fit pudori, dubitatione fere caret. Consentit quoque Lutherus in Commentario ad Genesin.

§. XII

*Explicatio
Marc. XXIV,
72. vindicatur.*

Eundem innuit affectum Marcus c. XIV, 72. ubi Petrum, de peccatis in abnegando seruatore commissis vehementer dolentem, rubicundoque, ob praesentiam magistri ipsum intuentis, pudore suffusum, capite operto largas effusisse lacrimas narrat. „Ἐπιβαλὼν, inquit, ἔκλαε, quod ita latine reddendum esse mihi persuasi: inuoluit se vestimento, atque fleuit. Hanc, quam attuli, satis stabiluit verborum interpretationem Salmasius de foenore Trapezitico, ut in hunc locum amplius commentari merito superuacaneum putem. Vnicum, omnibus caeteris missis, monebo, eo quidem consilio, ut iis obuiam eatur, qui repugnare hanc interpretationem Matthaeo atque Lucae, vocem ἐξελθὼν pro ἐπιβαλὼν Marci adhibentibus, clamitant, ideoque ambas ἐπιβαλλεν et ἐξερχοδαι voces unum eundemque significatum habere debere, contendunt. Mirum in modum isti se torquent, ut e voce ἐπιβαλλεν notionem: se proripiendi, seu exquandi, extorqueant, aperta alias ne adsit repugnantia, timentes. Quod tamen timeant, nec est, neque opus, ut voci ἐπιβαλλεν significatum tribuant, quem nunquam habuit, ni velint, nimiam, in affrendis profanorum scriptorum locis, vastae lectionis speciem affectare. Nulla adest repugnantia in his locis, quae, quoniam de uno eodemque facto, lacrimis scilicet Petri, agunt nec

nec tamen de iisdem, quae circumstant, rebus, semi-parallela appellare lubet. Non tollit hic sacer scriptor; quod ille ponit. Veritati potius utrumque, tum illud, quod Marcus, tum hoc, quod praeter Matthaeum Lucas memorat, quam conuenientissimum esse, rei natura docet. Caput primum, Marco narrante, obuoluit Petrus veste, iis, ut probabile sit, ex causis, ne seruator ipsum amplius videat, nec, qui aderant lectores, ruborem faciei animaduertant, deinde statim pedem mouet, et exit, notantibus id Mattheo Lucae, quo tutius suus lacrimis detur locus, largissime effundendis. Tunc enim non lacrimandum, sed plorandum erat, ut Senecae monitum inuertam.*¹) Silet ergo Marcus exitum, quem reliqui narrant, mentionem vero iniicit capituli velati, quod apud istos non legitur; quam differentiam diligens librorum sacrorum lector minime mirabitur, quum in narratione euangelica haud raro accidat, ut suppleat hic, quod consulto omisisse alter videbatur, indeque mirus ensescatur consensus. Causas quoque si consideramus, quae pudorem gignunt, omnes in Petrum egregie quadrant, crimen commissum, vultus conscius, quem, vel Seneca teste, pudor serus tegit, praesentia magistri, qui crimen nouerat, ipse tandem, quem nouimus, infirmus Petri animus. Verbum vero ἐπιβάλλειν, omisſa καλύπτεσθαι, iuxatίον, εὐθίτος, voce, hac occurrere notione vel Lambertus Bos satis evicit. Populos ergo Orientis in pudore non modo caput velasse, sed scriptores quoque sacros caput opertum pudoris loco posuisse, et solos affectuum effectus externos commemorasse, internarum animi commotionum ne verbo quidem mentionem facientes, constat.

§. XIII

*) Epistol. LXII.

§. XIII

*Huius rei ra-
tio.*

Poetis id quam maxime familiare esse supra §. I. p. 2. dixi,
quippe qui, licet nonnunquam vasta rerum dicendarum
copia utantur, imo leuiora quoque, quae ad rei cardinem
nihil proxime faciunt, tradant, tot tamen singulis vocibus
annectunt notiones, ut multa adhuc paucis dixisse, et bre-
uitatis quam maxime studiosi fuisse, putandi sint. Pro podo-
re ergo caput opertum quoque ponere solere sacros histo-
riographos, non miror. Sola facta, quae in sensus incur-
runt, quo capitis velatio pertinet, referre, internas non ra-
ro actiones, v. c. pudorem, silere, breuitas flagitat, quam
amant, non inelegans. Vnicum afferamus exemplum. Per-
pendamus, quam breuis sit in crimine primorum homi-
num describendo, scriptor sacer: vedit Eua, inquit, arbo-
rem, oculis gratam, decerpit de fructu eiusdem, dedit pae-
terea viro, qui et ipse comedit. Solam actionem externam
memoratam audio, malos animi motus, externorum causas
occultas atque pestiferas, ab interprete addendas, superbiam
nempe, incredulitatem, nimium sui amorem, inobedientiam,
alias silentio pressas animaduerto. Idem ergo, in membris hu-
manis affectuum loco positis, obuenire, quem male habebit?
Hoc certe cum pictoribus commune habent, qui internos
motus actionibus externis indicant.

§. XIV

*Caput Aper-
tum pro Im-
pudentia po-
nitur.*

A pud graecos scriptores, ut supra monui p. XXIV. quic-
quid sceleris impudenter, sine rubore atque verecun-
dia, peragebatur, *capite nudo* perpetratum fuisse dicebatur.
Eodem modo impudentiam hominum, omnem honestatem
ac morum modestiam, aliorumque praesentiam susque de-
que habentium, indicasse populos Orientis non sine ratione
opinor.

opinor. Egregie saltem id comprobat Chaldaica bibliorum tralatio. Quae enim Numer. XV, 30. de peccato, voluntarie atque impudenter commisso, mortis poena vindicando, legitur lex Iouae, -- **הנֶּפֶשׁ אֲשֶׁר תַּעֲשֶׂה בְּרוֹר רְמָה נְכֻרָתָה חַנֶּפֶשׁ הַחֹוֹא** quicunque volens atque studio legem transgressus fuerit — — excinditor de numero suorum, hanc ita vertit Chaldaeus interpres **אנְשׁ רְיוּבֵד בְּרוֹשׁ גָּלוֹ** qui cunque capite aperto peccauerit etc. Caeterae quidem versiones ad superbiam respiciunt, LXX. interpretes dicta verba per *εν χειρι παρεγραφαις* explicant, vulgatus magis latine: *per superbiam*, habet. Ad impudentiam tamen quo minus ea referri debeant, non video. Haec ergo de capite operto pudoris loco posito dicta sunt aequae, atque apertione capitis, impudentiae signo.

§. XV

In gratis in genere fere omnibus Capitis Opertus inseruit affectibus, ideoque haud raro a scriptoribus prosae atque in primis poetis, vel ipsorum adeo affectuum loco ponitur, vel tanquam signum eorundem adiicitur. Grauis esse Caput operatum trifitiae, apertum gaudi loco ponitur. Opertum trifitiae documento, superbus ille atque dulci ebrios fortuna, regis Persarum minister, Haman, suo docet exemplo. Quem scilicet genti Ebraeae quas struxerat insidias machinasque, in se, autorem quum videret redundantes, et Mardochaeum adeo, nomen quam maxime invisum, hominem imo patibulo e sua sententia mox affigendum, summis prosequi honoribus, regiisque omnino vestibus ornatum, per totam urbem deducere cogeretur, domum postquam reuerterat, caput legimus inuoluisse velaminibus. Tam arcto plerumque coniuncti sunt affectus vinculo, ut vel in una eademque causa haud raro plures locum habeant, una eademque actione plures indicentur, nec inde, quis in primis dominetur, sine magna opera erui possit. Quod sicut in aliis accidit, ita praecipue in Hamanem, caput velis obdu-

E

obducentem, quadrat. Varios opertum ipsius caput indicat affectus. Non ultimus uidetur esse pudor, e facto, insatiable gloriae cupidini, aduerso, ortus, quem quidem capite operto testatos esse veteres, ex hactenus dictis perspicuum est. Quid de metu dicam imminentis infortunii? quod tanta tamque inopinata omnium rerum conuersio portendebat, amici, quorum consiliis utebatur impius ille, certum fore, dicebant. Capitis ergo opertura quem praeter alias affectum secundarium significet scriptor sacer, studiosius non quaero, ipse quam nihil definiat, his usus verbis, Esther. VI, 12. **הַמֵּן נָרְחָפָן אֶל־בֵּיתוֹ אָכֵל וְחִפּוֹיְ רָאשָׁ Haman domum, et caput operuit.** Vehementem tamen tristitiae gradum, desperationi fere proximum, hic adfuisse quis negabit? Aperuerunt contraria ex parte veteres capitata, remoueruntque ab illis velamina, tristitia non amplius affecti. Hinc factum esse puto, ut poetis in primis a capite uestes demere idem sit atque, mittere tristitiam, imo gaudere. Testis sit Vlysses, ab Alcinoo, Phaeacum rege, benigne exceptus, conuiuioque, quod principes populi ducesque parauerant, liberaliter tractatus, ob dulcissimum tamen amabilis Demodoci cantum, praeter pudorem maximo afflictus moerore. Ad actionem attendamus, qua hunc prodit affectum Ithacus, ad modum, quo ipsum poeta describit. Eleganter Homerus Odyss. VIII. v. 83.

— — — αυτας οδυσσευς
Πορφυρεον μεγα Φαρος ελων χερσι 5. Θερησι,
ΚακηΦαλης εγυπτε, καλυψε δε καλα πεσσωπα.

— — — At Vlysses
Purpuream ingentem uestem prehensam manibus robustis
In caput traxit, obtexitque pulchram faciem.

Mox vero, cum primum enim dulcissimus ille cantor canere definit, moeror quoque ab animo Vlyssis recedit, omniaque ipsi videntur esse iucunda, pergit carminis autor:

Ητοι οτε λυγχεύν αειδῶν θεος αιδος,
δακρυ, σμορξαμένος, κεφαλης απο φροντος ελεσκε,
και δεπας αυθικυπελλον ελων, σπεισαθε θεοσιν.
*At quando desit canere diuinus cantor
Lachrymis abstersis, a capite vestem demis,
Et poculo rotundo sumto libauit diis.*

En capitibus apertione, gaudii indicem, affectuumque loco
a poetis eleganter positam!

§. XVI

Metus silentio praetereundus non est, quem subindicatu-
ri scriptores, timentis caput quibusdam obnupserunt
tegumentis. Sic apud Homerum Helena, iram Veneris ti-
mens, tacite iuisse fingitur, peplo candido splendido cooper-
ta, Iliad. III. 418.

— εδδεστεν δ' ελευη διος ευγεγανια
βη δε κατασχομενη εαυτη αργυτι φαεινω
σιγη.

Quibus e verbis omnino, in timoris affectu a veteribus ca-
put opertum fuisse, appareat. Insigne vero capitibus velati, ipsius
metus loco positi, exemplum praebet Plautus in Mostellaria
Act. II. Scen. 90. ubi Tranio seruus Theeuropidem senem
admonet, ut sibi caueat a domo sceletta, monstra continente,
iustoque percussus terrore, in locum se conferat tutiorem. Ita
vero rem enunciat Comicus:

caue respexit, fuge, atque operi caput.

Quae si cum iis conferimus, quae Scen. I. 77. ille idem se
peracturum esse iactitauerat, hic de metu nos debere cogita-
re, clarum est.

§. XVII

Memini, me supra §. XIII. dixisse, populos Orientis im-
pudentiam hominis capititis apertione declarare soli-
tos fuisse. Eadem illi ratione animum, nihil, vel minuscu-
la timentem, delineasse visi sunt. *Iudicum nimirum V. belli*

*Caput aper-
tum timorem
remover.*

E 2 tem-

tempore, quod Iabinius, rex ille Cananitarum, cum Iudeis gerebat, tanta fuisse in regione Iudaica dicitur calamitas, ut sapientes amplius sedere atque ius exercere haud potuerint, imo tantus, ubique omnes inuasisse hostium metus, ut nemo nisi per colles devios viasque tortuosissimas incedere fuerit ausus. Quae quum mente repetit *Debora*, summis extollit laudibus louam, quod ipsius virtute factum sit, ut omnes tandem belli calamitates in Israelitarum terris cesserent. Delineaturus ergo hanc feliorum temporum restaurationem, Jonathan, ad comma statim I. rediisse, dicit, sapientes ad synagogas ad sedendum, *capite aperto*, בְּרוּשׁ גָּדוֹן quae quidem verba de omni metus absentia explicanda esse, contexta flagitat orationis series. Aliud dabo eiusdem rei exemplum. Iudei quando Exod. XIV, 8. ex Aegypto exiisse dicuntur, quod de praepotente dei auxilio, cui non potuerunt Aegyptii resistere, explicari solet, Onkelos adhibet suum בְּרוּשׁ גָּדוֹן et ad animum Iudeorum fortem, magna sperantem, nec non laudabilem, in promissionibus diuinis collocatam fiduciam, respicit, metum ergo, si non ab omnibus, a plurimis tamen, si non omnem, maximam tamen partem, missum fuisse indicat. Fallor, an hoc, semotis poetarum locis, trahi quoque potest, quod Tacitus *Annal.* III. 41. Sacrouirum refert, ostentandae, ut ferebat, virtutis caula, *capite aperto*, pugnam pro Romanis ciuisse. Quam quoque virtutem, imo ferociam prae se tulisse fertur Satibarzanes, Curtio monente, VII, 4. 33. qui demta galea, unicuique, viritim dimicare volenti, certamen offerens, nudum se caput in certamine esse habiturum, affirmabat. Cui quoque morem gerebat Alexandri dux, Erigyius, demtaque, ut ne deterior virtute, periculique metuentior videretur, ostenderet potius, quales amicos haberet atque milites Macedonum rex, itidem galea, capite ergo denudato, tela in hostem dirigebat. Sufficiant haec de *capite aperto*, virtutis indice, atque velato, metus loco posito.

§. XVIII

§. XVIII

Differt quodammodo ab affectibus, quorum loco hacte- caput oper-
tum luctus
loco ponitur.
nus Caput opertum a scriptoribus positum fuisse dixi, luctus, qui tristitia est, de morte alterius, necessitudine quadam nobiscum coniuncti, sive, quod idem est,* aegritudo ex acerbo hominis, qui carus nobis est, interitu. Huius etiam loco an Caput Opertum positum fuerit, inuestigasse iuuabit, paucaque de luctus indicis annotasse. Me ergo hic omnem luctus materiam pertractaturum esse caue ne credas. Velim potius, si plura de luctu veterum legere e re tua est, Kirchmannum *de Funeribus Romanorum* et Geierum *de luctu Ebraeorum* conferas, qui tibi quin satisfacturi sint, extra dubitationis aleam positum est. Vnicum hoc, idque duobus exemplis demonstrare conabor, veteres interitum suorum capite operto deplorare consueuisse, indeque scrip-tores prosae atque ligati sermonis occasionem arripuisse, dicendi, capita eos velaminibus obnupsisse. Elegans vel he-ri, Aeneida legenti, in fine carminis mihi praebuit huius rei exemplum germana Turni soror infelicitis. Victo illa vulneratoque fratri Iunonis suasu succurrit, et vel ipsa, vel per alios in Aeneam contorquet tela. Iam vero omnia mox fore cochlamata cognoscit. Diras enim adeo pestes, quae Iovi ad obsequium irati praesto erant, quarumque ope horrendam semper caedem moliri solitus erat, ad auxilia Ae-neae ferenda, opprimendumque penitus Turnum, missas esse audit. Plane ergo de salute illius desperat, nihil superesse autumat, quo ipsum seruet, relinquendas esse acies iudicat, contra deos, tamque horrenda monstra ab ipsis missa, non esse pugnandum, clamat moestissima foror. Acerbum imo fratris interitum quum reuoluta mente, et superstite tantum fratre vitam sibi iucundam, mortuo eo grauissimam fore, secum cogitat, non potest, quin summo afficiatur luctu. Sic vero luctum Iuturnae Maro eleganter canit, pictoresque, qui non nisi signis quibusdam externis affectus delineare pos-sunt, egregie imitatur. — pos-

*) Cicer. Tuscul. Quaest. III. n. 18.

X 3372773
GK
Tt
82
XXXVIII DE MEMBRIS HUMANIS ETC.

— — — possem tantos finire dolores
Nunc certe, et misero fratri comes ire per umbras
Immortalis ego? ac quicquam mihi dulce meorum
Te sine frater erit? — — —
Tantum effata, caput glauco contexit amictu
Multa gemens.

E sacris literis praeter psalmum LXVIIII, 8. aliosque haud immerito huc pertinere iudicatur 2 Sam. XVIII, 4. ubi David de morte filii degeneris, Absolomi, vehementer doluisse fertur, opertoque incessisse capite. Partem modo capitinis, faciem, hic commemorari, aegre ne feramus. Ipsum in genere caput tectum fuisse legitur XV, 30. ח' פ' נ' י' ש' ר' א' ש' Sunt quidem dubia quaedam, a prohibitione nimirum Dei, sacerdotibus facta, ne caput aperiant, neque tamen lugeant, a Iuliani imperatoris moribus, ante exuias Constantii demortui nudo incidentis capite, imo a populo Romano, post mortem Tiberii, capite tecto per totam orbem prae gaudio discurrente, desumpta, quae contra capitinis opertum, luctus indicem, mouentur, ut saltem caput opertum luctus loco ponendi ratio in ritu lugendi inesse non videatur, attamen tam vilis sunt omnia ponderis, ut eorum refutatione superdere possim.


§. XVIII

Capitis demissio, et elatio.

Tandem quaedam de capitinis demissione, elatione motione dicturum me, promisi. Supinum nimirum caput arrogantiae nota est, vel Quinctiliano monente. His qui superbunt, proprium esse viderunt capita extollere, et, ut Ouidius canit, in sua retorquere terga. Animus enim eorum sicut pectore alta souet, ita fieri quoque non potest, quin ipsum caput altiore affectet locum. Demissio vero capitinis varios indicat affectus ingratos. Mitto iam quamplurima poetarum loca. Elegantia quippe poetis frequentissima est. Apud Curtium memini me VIII, 2. 31. capitinis demissionem metus loco positam inuenisse. Plerique tamen haec maximam partem nota esse puto. Forsitan quoque aliquando tempore hac de materia erit dicendi locus. Quaedam hic de Capite in genere dixisse sufficiat.

M E M B R I P R I M I F I N I S.

Farbkarte #13



B. M. T
II d
82
(2)

DE
EGANTIA
NIS POETICAE
IN
IBRIS HVMANIS
VVM LOCO POSITIS
MENTATIO SECUNDA
QVAM
PRAE SIDE
IANO GOTTLIEB
LVGIO
LL. AA. M
DECEMBER. cIe Icc LXVI
DITORIO MAIORI
DEFENDET
FRIDERICVS PEZOLDVS
GVBENA - LVSATVS
LITERARVM ET S. THEOLOGIAE CVLTOR

VITE BERGAE
RIS TZSCHIDRICHIANIS

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄT & BIBLIOTHEK
HALLE (SAALE)